



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Concl. I. Ordinarius minister Sacramentorum ex vi præsentis institutionis  
est solus homo viator ratione utens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)



Atque hæc factis de reviviscencia Sacramentorum, que purè putè dependet à voluntate Christi seu Dei, quæ nimis obscura est, ut asseramus alia Sacramenta præter

Baptismum reviviscere. Et ab eadem voluntate Christi dependet legitimus Minister Sacramentorum, de quo instituitur

## SECTIO SEPTIMA.

### De Ministro Sacramentorum.

1.  
1. Cor. 4.

**S**ic nos existimet homo (inquit Apostolus 1. Cor. 4. v. 1.) ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Indubiè igitur ille omnis & solus est minister Sacramentorum, quem Christus in sua institutione designavit. Quis autem singulorum Sacramentorum in particulari minister à Christo sit assumptus, pertinet ad disputationes de singulis in particulari; in præfenti solùm proponemus aliqua communia ministris omnium Sacramentorum.

Non omnes Christiani in omnibus Sacramentis administrandis habent potestatem. Trident.

Suppono autem ex Concil. Trident. sess. 7. can. 10. non omnes Christianos in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Verba Trident. sunt: Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

2.  
Oppositus error est Lutheri,

Oppositus error est Lutheri, qui in lib. de Missa privata & Unctione Sacerdotum edito anno 1534. non solùm omnibus hominibus; sed etiam dæmonibus tribuit potestatem ministerialem omnium Sacramentorum: Ego (inquit) non dicam, quod Papista dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed è contra dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea resciscerem diabolus sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesie in specie hominis, vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogemur sateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum evangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi nos accepisse. Hæc ille.

Cujus probationes invalidæ.

Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas & efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbis & ordinatione: tum quia Judas, qui erat membrum diaboli, non minùs prædicabat & baptizabat, quàm cæteri Apostoli. Cur igitur non possit diabolus, quod posunt membra ejus?

3.  
Bellar.

Sed hæc probationes parum habent momenti: facilè respondet Bellar: lib. 1.

de Sacramentis in genere cap. 24. lit. F. Ad 1. Sacramentorum efficaciam non pendere à quacumque qualitate ministri; non enim à bonitate v. g. tamen pendet à qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister; talis autem est, ut sit homo.

Ad 2. fatetur Judam fuisse membrum diaboli, sed non ut tale administravit Sacramentum, verùm ut minister Christi; quia verus homo erat; & à Christo acceptat potestatem Baptizandi, quorum neutrum diabolo convenit. Et sanè Lutherus erat membrum diaboli; comedeat vitaliter, bibebat, dormiebat; num propterea hæc poterat diabolus? & quare non poterat? Citò respondeo: quia non erat homo constans animâ & corpore, sed spiritus, qui carnem & ossa non habet, adeoque incapax est ejusmodi operationum corporalium.

In altero extremo versatur Calvinus, qui nequidem in necessitate concedit mulieribus baptizari. Sic enim scribit in Antidoto ad can. 10. sess. 7. jam citatum: Nemo sanus Christianos omnes in verbi, Sacramentorumq; administratione pares facit: non solùm quia decet & ordine geri omnia in Ecclesia decet, sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordnantur ministri. Et infra: Porro munus Baptizandi ubi mulierculis inmundum reperient, quemadmodum illis permittunt?

4.  
Calvinus nequidem in necessitate concedit mulieribus baptizari

Respondeo in communi sensu & perpetuâ traditione Ecclesie. Sed, ut propius ad rem accedamus, pro doctrina Catholica erit

### CONCLUSIO I.

Ordinarius minister Sacramentorum ex vi præfentis institutionis est solus homo viator ratione utens.

5.  
Ultima pars nullam patitur contradictionem; constat quippe apud omnes, administrationem Sacramentorum, quæ in usu consistunt, necessariò esse actionem humanam,



humanam, atque ad eam requiri certam intentionem ( ut infra explicabitur ) quæ abque usu rationis nequeunt haberi. Et quamvis Eucharistia validè ministraretur ab amente aut puero, certum tamen est non esse ministros à Christo ad hoc munus deputatos.

6. Porro ratio à priori primæ partis est voluntas Christi, qui sicut instituit Sacramenta pro Ecclesia sua militante, sive pro membris Ecclesiæ militantis, ita quoque voluit ordinarios ministros Sacramentorum esse membra ejusdem Ecclesiæ actu, vel obligatione.

Hæc voluntas nobis innoscit ex communi & perpetuo usu totius Ecclesiæ. Deinde ex ipsa Scriptura sacra; siquidem de Eucharistia Luc. 22. v. 19. non Angelis, sed Apostolis, qui erant homines viatores, dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*; & de Baptismo Matth. ultimo v. 19. *Baptizate omnes gentes*. De Extrema Unctione Jac. 5. v. 14. *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum &c.* de Pœnitentia Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* De Ordine & Confirmatione constat ex Concilijs & traditione ministrum regulariter debere esse Episcopum, qui ( ut dicitur ad Heb. 5. v. 1. ) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum*. Denique Matrimonium fatentur omnes non posse fieri nisi inter homines, qui simul sunt contrahentes & ministri. Unde dixit Adam Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea &c.* *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem; & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et Christus Mar. 12. v. 25. *Cum à mortuis surrexerint, neque nubent, neque nubentur &c.*

7. Rationem congruentiæ assignat Doctor Subtilis 4. dist. 6. q. 1. n. 3. ibi: *Generaliter etiam congruum est ab homine viatore conferri Baptismum ( eadem est ratio de alijs Sacramentis ) & non ab Angelo aliquo; tum quia Christus, qui instituit, homo fuit, tum quia in Sacramento est aliquid sensibile & aliquid spirituale, & per consequens magis congruit ministro, & utenti sensu & intellectu, quam purè intellectuali.*

Cum hoc tamen fiat, quòd ex privilegio & dispensatione divina aliquando Angeli Sacramenta ministraverint & ministrarent, ut ibidem docet Scotus n. 2. ibi: *Dixit autem generaliter suppositum nature intellectuales, quia si bonus Angelus extraordinaria potestate baptizaret in corpore assumpto cum omnibus prædictis conditionibus, tunc supponendum esset verum esse eius Baptismum; quia*

*non fieret nisi de præcepto Dei: nec esset ille baptizatus ab Angelo iterum rebaptizandus; sicut Michael prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in monte Gargano, asserens eam à se dedicatam fuisse.*

Aliud exemplum magis ad propositum legimus apud Nicephorum lib. 11. histor. cap. 20. ubi narrat. S. Amphilochem fuisse ab Angelis consecratum Episcopum: *Angelos (inquit) Deus misit, qui mysticè & arcanè benedictione, & Episcopali arrogatione eum dignati, intellectuâli modo consecrarunt, & Hierarchiam civitatis Iconij renuntiaverunt.*

Si fuit (inquit Card. Lugo disp. 8. n. 1.) intellectualis solum consecratio, non fuit sensibilis, atque adeo nec propriè sacramentalis. Consentio, si verum est quod supponitur, scilicet, consecrare intellectuâli modo idem esse quod consecrare insensibiliter.

At quæ necessitas istiusmodi identitatis? Certè testatur sacra pagina non uno, sed diversis locis, Sanctos Angelos sensibilibus locutos, aliasque actiones sensibiles exercuisse. An ideo vitali ac corporali modo, id est, per organa corporis animati; ad tales actiones propriè destinata? Minimè; quin magis spiritali modo, id est, modo spiritibus proprio, ac quodammodo intellectuâli, id est, solius intellectus Angelici naturali acumine attingibili. Sic loquebantur per solam aëris collisionem & fractionem artificiosam ad corpus assumptum, ad quam sufficiebat virtus motiva secundum locum. Et pari modo comedebant & bibebant, non virtute principij vitæ corporalis, & in ordine ad nutritionem, sed per solum motum localem; cibum ac potum in corpus assumptum demittendo.

Hoc extraordinarium Angeli privilegium non obscure indicat Aug. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 15. in fine his verbis: *Nemo ergo accipit sine dante, sed quod pertinet ad Baptismi sanctitatem: adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat, sive per se ipsum donante Deo, sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sive per Ioannem, sive per hominem iniquum &c.* Adde, sive per Angelum iniquum; ita enim sentit Doctor noster supra, ibi: *Si etiam malus Angelus in corpore assumpto baptizet, & constet, quòd esset de præcepto Dei, talis habendus esset pro baptizato; quia oportet malum Angelum etiam invitum obedire Deo. Sed non esset sine certa revelatione super hoc habita credendum, quòd malus Angelus verè baptizaret.*

Quidquid sit, an Angeli aliquando baptizarent, aut alia Sacramenta, quæ in usu consistunt,

Admini-  
stratio Sa-  
cramentorum in  
usu con-  
suetudinis ne-  
cessario est  
actio huma-  
na.

Ratio prio-  
ris partis  
Conclusio-  
nis est vo-  
luntas Chri-  
sti;

Quæ nobis  
innotescit  
ex perpetuo  
& communi  
usu totius  
Ecclesiæ.  
Luc. 22.

Matth. ult.

Jac. 5.

Joan. 20.

Heb. 5.

Gen. 2.

Mar. 12.

7.  
Ratio con-  
gruentiæ ex  
deco.

Non obstat,  
quòd dispen-  
satione di-  
vina ali-  
quando An-  
geli mini-  
straverint  
Sacramenta.

8.  
Nicephorus;

Lugo;

Consecratio  
intellectua-  
li modo nō  
est idē quod  
consecrare  
insensibili-  
ter;

9.  
Extraordi-  
nariū illud  
Angeli pri-  
vilegium in-  
dicat Au-  
gustinus.



Non offenditur impossibilitas cur nequeant Angeli, etiam sine corpore assumpto, ministrare Sacramenta quæ consistunt in usu.

10.

Sacramentum est signum prae-  
teritum gratiae,  
quia sensibili-  
ter materia appli-  
catur & forma profer-  
tur à quocumque mi-  
nistro legitimo.

11.

consistunt, ministraverint; fide humanâ ex historijs creditur, interdum administrasse hominibus Eucharistiam. Impossibilitas quoque aliorum non potest offendi, etiam sine corpore assumpto, dummodò applicent materiam, & efforment voces sensibiles, quibus formam essentialem expriment.

Dices cum Lugone supra: Sacramentum nostrum includit verba humana & actiones humanas; immò actiones hominis habentis talem potestatem, Sacerdotalem v. g. vel Episcopalem, quales non sunt actiones Angelicæ; igitur fatendum est, non fieri tunc Sacramentum omnino ejusdem rationis cum nostris; sed poni eundem effectum per aliud medium aliquantulum diversum.

Respondeo negando antecedens; non enim Sacramentum est signum prae-teritum gratiae (quod est tota ipsius essentia) quia materia applicatur, vel forma proferitur ab homine, aut per actionem vitalem ordinario vel extraordinario modo (illa quippe omnia impertinentia sunt ad significationem, & per consequens ad causalitatem, quæ ex sola significatione defumitur) sed quia sensibilibus materia applicatur, & forma proferitur à quocumque ministro legitimo, ordinario, sive extraordinario; siquidem æqualiter ex communi institutò significat lotio v. g. vitalis, & non vitalis; similiter prolatio formæ per principium vivificans corpus, & per principium dumtaxat assistens. Neque attendit Deus aut Ecclesia ad modum applicandæ materiam aut formandæ verba, sed ad significationem; non quàm habet materia vel forma à proferente, sed ex communi usu aut institutione Christi.

Etenim interrogo, an ille, cui excisa est lingua à Tyranno ob confessionem fidei, possit ministrare Sacramentum, Deo sup-  
plente in ipso per miraculum defectum instrumentorum, & dando vocem & loquelam absque lingua? Vel etiam, si edentulus, qui dentibus appositis artificialiter loquitur formatè, sine quibus tamen nequit intelligibiliter formare verba; an hic (inquam) possit baptizare; tamen non loquatur per instrumentum conjunctum? Nemo dubitat quin possit.

Pariformiter discurre de ipsa lotione baptismali, ad quam requiritur ut fiat per ministrum, sive per instrumentum conjunctum quantum ad functionem vitæ, sive per separatam, perinde judico. Enimverò in artificialibus & moralibus multa sunt per instrumentum non conjunctum, quæ tamen artificij aut alteri causæ morali tribuuntur. Sanè quis credat invalidè eum

baptizare qui ad lotionem non utitur manibus, quæ tamen sunt instrumentum conjunctum & connaturale, quod ad ejusmodi actionem communiter deservit?

Dato quoque quòd actio vitalis ministri requiretur ad ministerium Sacramenti, id intelligendum est de lege Dei ordinata; non autem de potentia Dei absoluta, seu extraordinaria commissione.

Medium quidem tunc aliquantulum est diversum, sed non formaliter, sive in ratione Sacramenti; nam eodem modo significabit & causabit gratiam, præsertim cum Sacramentum in ratione sua non includat intrinsecè personam ministri; imò nec potestatem ipsius; quàmvis & persona & potestas requirantur, ut ponatur actio Sacramentalis, quæ sola immediatè significat & movet Deum ad producendam gratiam. Unde minister non aliter concurret, quàm per ipsum Sacramentum, quod ponit; vocetur causa ministerialis, vocetur moralis mediata, quæstio est de nomine.

Nec video quare Sacerdos medijs verbis potius moraliter concurret ad positionem Corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, quàm minister Baptismi mediâ ablutione & prolatione formæ ad gratiam baptismalem, aut certè persona Sacerdotis in Sacramento Pœnitentiæ ad causandam remissionem peccatorum; quippe tam ad absolutionem, quàm consecrationem, requiritur character Ordinis; & verba prolata nullum sunt habitura effectum, si ab alia persona proferantur: non apparet (inquam) sufficiens differentia; ni fortè in eo, quòd conficiens Eucharistiam sustineat personam Christi, cum non utatur verbis suis, sed Christi, ut dicunt Sancti Patres, & patet ex Canone missæ.

Hactenus de Angelo; & eadem proflus est ratio de anima separata: quia nec etiam ipsa est homo.

Nec obstat, quòd retineat characterem; quippe character (ut diximus sect. 4. conclus. 7.) non est ipsa potestas, sed signum potestatis in via acceptæ, quòd etiam manet in animabus damnatis. Num ideo & ipsa potestas? Negat communis sententia.

Ex qua videtur inferri nec hominem gloriosum, sive animam unitam corpori glorioso in statu comprehensoris, licet retineat characterem, posse esse validum ministrum nostrorum Sacramentorum. Nam in primis (inquit Lugo disp. 8. n. 2.) post diem judicij omnes sacerdotes retinebunt characterem suum, & tamen tunc non poterunt consecrare Eucharistiam, non solùm ex defectu

12.  
Dato, ad idem, nem vitali ministri requiri ad ministerium Sacramenti, id intelligendum est de lege Dei ordinata.

13.  
Minister aliter concurret ad effectum, quàm per ipsum Sacramentum, quod ponit.

14.  
Eadem est ratio de anima separata, quæ de Angelo. Non obstat quòd retineat Characterem.

14.

Lugo.



Sect. 7. De Ministro Sacrament. Concl. 1. 145

ex defectu materiae panis & vini; sed etiam ex defectu potestatis, quam scilicet acceperunt solum ad consecrandum in hoc mundo ante diem iudicii, ut videtur colligi ex Apostolo 1. ad Cor. 11. v. 26. in illis verbis: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; ubi iuxta communem interpretationem explicatur institutio sacrificij Eucharistici facta solum pro tempore hujus mundi duraturi usque ad consummationem saeculi. Haec ille.

**Dicaſtillo.** Respondet Dicaſtillo disp. 3. n. 41. ex illa Scriptura ad summum probari cessationem omnium Sacramentorum novae Legis post resurrectionem generalem, quando nulli amplius erunt homines viatores, pro quibus solis (ut suo loco patebit) Sacramenta sunt instituta. De caetero dum Sacramenta durant cum sua significatione, & sunt tempora & subiecta capacia significationis & effectus illorum, adhucque eorum viget usus; non video (inquit) cur signum illud sensibile, exhibitum ab homine, quantumvis non viatore, non possit valere.

Ex nullo capite constat hominem non viatorem esse institutum Ministram Sacramenti.

Respondeo: quia neque ex Scriptura, neque ex Concilijs aut Traditione constat hominem non viatorem a Christo assumptum & institutum fuisse ministrum Sacramentorum Ecclesiae militantis: ille autem solus (ut dixi in principio hujus sectionis) est ordinarius & legitimus minister, quem Christus in sua institutione designavit.

15. Et haec est ratio a priori hujus sententiae, quam hjs verbis exprimit Card. supra num. 3. Sacramenta data sunt Ecclesiae ut ministrarent ijs, qui sunt intra Ecclesiam, ab Ecclesia visibili militante per suos ministros, quales non sunt ij, qui jam sunt extra hunc mundum, & qui nullo modo subjacent directè vel indirectè Ecclesiae. Alioquin Episcopus damnatus cum corpore & anima, ex odio in Deum ad irrogandam injuriam Sacramento, conferret alteri damnato, qui similiter ibi esset cum corpore & anima, Sacramentum Confirmationis & Ordinis, nisi Deus per miraculum impediret. Sed haec instantia frivola est: ut enim statim dixi, Sacramenta non sunt instituta nisi pro viatoribus.

16. Probationem ejusdem Auctoris eodem numero in principio desumptam ex verbis Jac. 5. v. 14. *Inducat presbyteros Ecclesiae, & orent super eum* &c. qui autem non est viator non est Presbyter hujus Ecclesiae, sed fuit; improbat Dicaſtillo n. 43, dicens, esse Presbyteros Ecclesiae triumphantis; quod verò debeant esse militantis,

hoc est quod quarimus, an necesse sit quòd sint in militante; & contendimus satis esse, quòd pro tunc sint in militante, hoc est, cum ijs, qui sunt in militante; & satis etiam est, quòd sint ordinati ab Ecclesia, ut dicantur Presbyteri Ecclesiae. Ita praefatus Auctor.

Sed contra: hoc etiam est quod quarimus, an sufficiat quòd sint Presbyteri Ecclesiae triumphantis, & pro tunc sint in militante. Probet id Dicaſtillo, & jungimus dexteras. Interè certum nobis est Jacobum locutum fuisse de Presbyteris Ecclesiae militantis, & nequidem somniasse de Presbyteris Ecclesiae triumphantis, cum fortè nullus ante generalem resurrectionem, quando cessabit usus Sacramentorum, talis futurus sit. Ut quid ergo Christus talem designasset in ordinarium ministrum suorum Sacramentorum?

Dicaſtillo pro sua opinione (quam praeferat Suarez disp. 13. sect. 1. probabilior) allegat auctoritatem D. Thom. q. 64. a. 7. ad 2. Sed (ut bene notavit Cardinalis supra num. 3.) S. Thomas id non asserit, sed permittit in solutione illius argumenti, quia ad propositum parum referebat, cum adhuc eo admisso negari posset consequentia de Angelis, de quibus contendebat argumentum posse administrare vera Sacramenta.

Adde, quòd Doctor Angelicus videatur loqui etiam de animabus separatis, cum de facto non constet aliquem purum hominem excepta Dei genitrice Maria cum corpore glorioso esse in caelo. Verba ejus sunt: *Ad 2. dicendum, quod sancti, qui sunt in caelo, sunt similes Angelis quantum ad participationem gloriae.* Quis autem ambigat animas gloriosas esse similes Angelis quantum ad participationem gloriae?

Optimè quoque respondet Emin. ad historiam, quam ex alijs Auctoribus refert Thomas Stapletonus in Collectaneo de S. Thom. Apostolo, scilicet anno 1120. Patriarcham quemdam Indorum, Joannem nomine, Romam venisse, ibique Calixto II. Papae & Cardinalibus in consistorio testatum esse, S. Thomam Apostolum omni anno communicare solitum populum suum manu propria dignis porrecta, & retracta ab indignis. Respondet (inquam) quidquid sit de veritate illius historiae, ex illa non haberi quòd Apostolus consecraret Eucharistiam, sed solum, quòd illam distribueret.

Et esto utrumque fecerit, id non ex communi lege, sed ex singulari Dei concessionem fecisse; quod ab omnibus fortasse fatendum erit, cum constare non possit Apostolum

Sed non recte.

17. Qui & pro sua opinione adducit Div. Thomam, sed curve. Ut ostenditur ex D. Thomae primo.

Ostenditur secundo.

18. Responsum ad historiam de S. Thomae Apostolo singulis annis suos communicante.

T cum



cum suo vero corpore comparuisse, totiesque repetito miraculo resurrexisset, & iterum mortuum fuisse. Quare credibilis est, animam solam cum corpore aëreo adfuisse; quemadmodum Angelus in corpore assumpto communicavit S. Bonaventuram, per specialem potestatem sibi à Deo ad illum actum concessam.

19.

Status hominis viatoris est qualitas essentialis ministri ordinarij Sacramenti.

Igitur, ut transeamus ad alia, quæ sunt majoris utilitatis, status hominis viatoris est qualitas essentialis ministri ordinarij Sacramentorum novæ Legis, quæ tamen extraordinariè sive ab Angelis, sive ab animabus separatis, aut hominibus beatis validè administrantur; quemadmodum ordinarij minister Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus, extraordinarij autem ex speciali commissione Pontificis simplex Sacerdos.

Sed cum hæc factis consent, major olim fuit in Ecclesia controversia propter Cyprianum & alios Patres Africanos, qui putabant Baptismum ab hæreticis collatum irritum esse, an similiter bonitas aut fides ministri sit conditio essentialiter requisita ad valorem Sacramenti? Modò inter Catholicos summa est consensus; enimverò omnes unanimiter docent, quòd

## CONCLUSIO II.

Nulla fides aut bonitas ministri requiritur ad valorem Sacramenti.

20. Conclusio est definita à Tridentino.

Ita novissimè definiuit Concil. Trident. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere: Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum consiciendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit. Et de Baptismo can. 4. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.

ante docuerat Florentinum.

Idem priùs docuerat Concil. Florent. in decreto Unionis agens de ministro Baptismi: Minister (inquit) huius Sacramenti &c. In causa autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus & mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesie &c.

21. Contrarius error fuit Joannis Wiclef.

Contrarium errorem defendit Joannes Wiclef, cujus articulus 4. à Concil. Constantiensi sess. 8. damnatus talis erat: Si

Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.

Olim etiam D. Cyprianus, secutus Agrippinum prædecessorem suum in Episcopatu Carthaginensi, cum multis Africa Episcopis constanter asseruit, & suâ eloquentiâ ac eruditione acerrimè propugnavit invaliditatem Baptismi collati ab hæreticis, obfistente sibi Stephano Papa cum universali Ecclesia; quo factum est, ut cæteri tandem Africani Episcopi suum errorem retractaverint, teste D. Hier. dialogo contra Luciferianos.

Cyprianum quoque se ante mortem correxisse docet Aug. epist. 48. ibi: Cyprianus autem sensisse aliter de Baptismo, quam forma & consuetudo habebat Ecclesia, non in canonicis, sed in suis, & in Concilij literis invenitur. Correxisse autem istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrimonio cavere voluerunt.

Et lib. unico de Baptismo c. 13. ibi: Sic etiam in martyre gloriosissimo Cypriano si apud hæreticos vel schismaticos datum Christi Baptismum volebat agnoscere, dum eos nimium detestaretur, quos à Catholica unitate, quam multum dilexit, separatos dolebat, tanta eius merita usque ad triumphum martyrij consecuta sunt, ut & charitatis quæ exercebat luce, illa obumbratio fugaretur, & ut sacramentum fructuosum fieret fructuosius, si quid habebat purgandum, si nullà re alia, certe passionis salce ulcimum tolleretur.

Rationem à priori Catholica veritatis assignat Doctor Subtilis 4. d. 5. q. 1. n. 4. Veritas (inquit) questionis patet ex auctoritatibus multis, quòd quacumque malitiâ minister sit malus, sive hæresis, sive schismatis, sive morum, salvâ unitate Ecclesie, si intendit facere quod facit Ecclesia, & servet modum Ecclesie, verè confert Baptismum; & talis Baptismus verè habet effectum in baptizato non obstante malitiâ ministri, nisi obstat malitiâ suscipientis in hoc quòd recipit à tali ministro. Veritas autem istius solutionis non habet nisi rationem unam propter quod, scilicet quia ita placuit Christo institueri, ut malitiâ ministri non impediret Sacramentum, nec eius effectum. Hæc Scotus.

Porro hoc beneplacitum Christi probatur maximè ex perpetua & constanti traditione Ecclesie, quam contra Cyprianum urfit Stephanus Papa, de qua D. Augustinus lib. 2. de Baptismo c. 7. ita scribit: Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem.

D. Cyprianus propagavit irregularitatem Baptismi collati ab hæreticis.

Qui tamen ante mortem se correxit.

22. Conclusio nis ratio à priori, ex Scoto.

23. Beneplacitum Christi ut malitiâ ministri non impediret Sacramentum, probatur maximè ex perpetua traditione Ecclesie. De qua Augustinus.